







CHARIDEMI PO-  
LITICI,

hoc est,

DE MORUM VENUSTATE  
AD CIVILEM CONVERSA-  
TIONEM

DISPUTATIO II

quæ est

DE LINGUIS,

Sub Præsidio

CASPARIS DORNAVI

Philos. & Medic. in Gymnas. Schönaichio

Profess. & Rector.

*Respondente*

MELCHIORE CALARTO

Bethaniensi Silesio

Ad diem Septembris

an. CIO. IO CXVII.

BETHANIÆ

TTPIS JOHANNIS DÖRFFERI.

Quam  
ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
DOMINIS:

Dn. MELCHIORI,  
LIBERO BARONI, à Rechenberg/  
Domino in Klitschdorff / Primkenaw / Schlawa /  
Wartenburg / Rottenburg / & Windisch  
Boraw &c. Sac. Cæs. Majest.  
Consiliario &c.

DN. CHRISTOPHORO GEORGIO  
à Bergk in Herrndorff / Claden / &c. hæreditario in Frey-  
walde / Buraw / &c. Judicii Regii Ducatus  
Glogoviensis Adfessori &c.

DN. IOHANNI à Bergk in Herrndorff /  
Claden &c.

DN. TOBIÆ A SCHWANNENSEE  
ET BREGOSCHITZ cognomento SCUL-  
TETO, Hirschfeldæ & Bellaquimontii Hæredita-  
rio: Sac. Cæs. Majest. Consiliario & Commissario:  
Comiti Sacri Palatii, Fisciq; Regii per Siles.  
& Lusat. infer. Patrono &  
Jcto &c.

Dominis & Patronis suis gratiosis jugiter colendis,  
debitæ observantiæ monumentum  
offert, dicatq;

Respondens.







**Marius** ridiculum  
esse putavit, literas Græcas ad-  
discere; quarum Magistri servi-  
re aliis tenerentur. Nec ab eo dissense-  
runt Carthaginenses; qui proditi aliquan-  
do Dionysio, Senatusconsulto caverunt:  
ne civium quisquam literis Græcis ope-  
ram navaret ullam.

## E X E O.

*Quær. Antepus aliquod linguis addiscendis  
sit tribuendum?*

R. Affirmantis—potior sententia visa est.

## T H E S.

I. Non equidem infiteri decet: permixtam lin-  
guarum varietatem, in destructione Babylonica  
turris fuisse indicium justæ indignationis Dei adver-  
sus hominum ambitionem atq; superbiam.

II. Illa enim confusio nocuit tum temporis Ec-  
clesiæ, Oeconomix, Politix; Ecclesiæ, in quâ portenta  
errorum introduxit: Oeconomix; cujus incrementa  
impedivit, impeditis commerciis: Politix; inter-  
nationes externas diffidentiâ excitatâ.

III. Deus verò, qui ex ipsa rerum ἀρραξία contin-  
nat ordinem planè decentem; ita linguas quoq; di-

*Plut. in Ma-  
r I vit.*

*Sueton. in-  
vit. Tiber I.  
Cæl. Rho-  
digin. anti-  
qu. lect. lib.  
22. cap. 17.*

*Gen. cap. 11.  
v. 3. 4. 5. 6.  
7. 8. 9.*

*Chrysost.  
homil. 30. in  
Genes.  
Phil. Iud. de  
conf. ling.  
Bened. Pe-  
ter. disp. 7.  
in c. 11 Gen.*

*Clemens Alex-  
andr. Plin.  
Par. 2. in Gen.*

versas segregatq; in salutem hominum rursus convertit: sive earum duæ & septuaginta, sive trecentæ, ut aliis; sive plures sive pauciores, ut item aliis placeat, numeratæ fuerint.

*Act. 2. v. 4.  
1. Cor. 12. v. 10.  
Jerem. 5. v. 15.  
Deut. 28. v. 49.*

III. Foret itaq; extremè demens, & in ipsum Spiritum sanctum blasphemus; qui linguarum studia insuper habere, aut eludere ausit. Est enim illarum donum, si vèro vim facere nolumus, pretiosum Spiritus S. *κειμήλιον*: quemadmodum ex adverso irascentis Dei inditium est, ruditas externarum linguarum in quocunque populo.

*August. lib. 19.  
de civ. Dei cap.  
17.*

V. Neq; frustra monetur: faciliùs animalia diversi generis sibi sociari; quàm diversæ linguæ ejusdè speciei homines: & diversitatem linguæ hominem ab homine alienare.

VI. Est ergo tenax, ut sic dicam, gluten amicitia & gratia conservandæ cognitio linguæ, cujusq; tandem gentis; qua cum conversari quis necesse habet: ne quid de honore dicam & autoritate, quæ *πολυλώγησις* comparatur.

*Alberic. Gen-  
til. lib. 3. de le-  
gat. cap. 7.*

VII. Facile se credunt exteri iis, præstantq; observantiam; qui sermone utuntur sensibus eorum cognito: per interpretes languidior est, magisq; dubia omnis oratio.

*Itaq; & Grammaticè & Politicè vituperan-  
dus Ductor militum Hispanus Vergas.*

*Princeps Au-  
riac. in Apol.  
Feld. Achil.  
Dux Wirien-*

*Ille superioribus annis rapuerat è Scholis, & in Hispaniam deportaverat Burensem Comitem; eo tempore, quo Lovani apud Flandros literis operam navabat. Professores Academiæ de illatâ vi conqueruntur: captum restitui*

contendunt; privilegia sibi concessa allegant: iis sese defendunt. Respondet barbarè Vergas: Non curamus vestros privilegios.

berg. de princip. prov. Europa.

## HEPTAS II.

Sleid. lib. 3. de sum. imper.

Carolus IV. Cæsar Romanus, nonnullibi prodigus, in Silesiam beneficus; de Imperii salute, quæ post mortem quoque suam floreret, sollicitus fuit: quod est boni cordatiqûe Principis. Ille in sanctiones suas, quas Auræ Bullæ nomine insignivit, etiam istud retulit; quo sapienter jubet, filios Electorum & successores præter Latinam linguam discere etiam Italicam atque Sclavonicam; quò sermonem cum diversis gentibus communicare possent.

Aur. Bulla cap. ultim.

## EX EO.

Qu. An præter linguam Latinam, Græcam, Hebraicam etiam opera pretium sit, alias linguas exoticas discere.

R. Affirmantis — potior sententia visa est.

### T H E S.

I. Equidem ultrò largimur; quod obscurari nec potest, nec debet: fontes esse linguam Hebraicam, Græcam, & Latinam præclarissimarum rerum.



I I. Quocirca ex iis hauriendus est optimus succus ad actionem atq; scientiam: dummodo concedere velimus; ut

Ovid.

*Purius ex ipso fonte bibantur aquæ.*

III. Neq; tamen adeò vel in æs incisa, humano sanguine putetur scripta lex ista, atq; sententia: ut non liceat Italicè, Gallicè, Hispanicè, Anglicè aut loqui aut discere.

I V. Sint in iis quædam aut communia cum priscis & eadem, aut iis saltem similia: certum est tamen, & exploratæ fidei, multa esse literis linguisq; peregrinis hodie prodita: quæ dum prisca nostris aptant locis atq; temporibus, prudentiam in nobis ad res feliciter conficiendas plurimum augent.

Francis. Guil-  
liman, in  
Habsburg.

V. Falsum præterea est, olim tantum apud Græcos & Romanos fuisse ex auro homines: nostro seculo merè bliteos nasci, & defungino genere.

Cicer. 5. Tuscul.

VI. Multis itaq; maximè in luce gentium versaturi, delitiis atque divitiis privantur; quæ occasionem nacti commodam & liberalem, linguis exoticis nullum tempus impendendum arbitrantur. Næ illi surdi sunt in linguis, quas non intelligunt!

Amasa. de  
ling. lat.

VII. Neque enim temporis jactura est; quod in rem vehementer necessariam locatur, & utilem.

*Approbamus itaq; Caroli V factum:*

*Is singulari amore prosequutus fuit linguam Gallicam; eousque, ut in ea scriptorem minimè de trivio Philippum Comineum magno in pretio habuerit, majori curâ attentioneq; legerit.*



## HEPTAS III.

Rodolphus Habsburgicus, de Romano Imperio, deq; patria Germania, multis nominibus; de lingua vernacula, meritus fuit optimè. Quum enim natio Germanica iustas ad ipsum querelas deferret; cogi se in tanto neglectu sermonis patrii, servire exteris linguæ Latinæ scribis, sæpe fluxæ fidei hominibus: Cæsar optimus comitia. habuit Noribergæ anno M. CC. LXXII; ubi omnium ordinum Imperii conspirantibus sententiis decretum est: ut deinceps in curiis, ad tribunalia, in contractibus, lingua Germanica admitteretur.

### EX EO

Qu. *An sermonem vernaculum excutere ad munditiem usq; teneamur?*

R. Affirmantis ——— prior sententia visa est

T H E S.

I. Requirit omnino lex naturæ, quâ patriæ obstringimur: ut ejus commoda provehamus juxta & ornamenta: ad utraque vernaculus sermo pertinet.

II. Dies ex die docuit: stetisse in flore amœnif-

*Alber. Argent.*

*Aventin. lib. 1.*

*ann. Roi.*

*Gerard. de Roo*

*in ann. Austr.*

*Cicer. 1. offic.  
ex Plat.*

*Melancht. 4.*

simo

*Cbr. in decla-  
mat.  
Camer. ceter.  
3. cap. 65.*

limo regna atque imperia; quum vernaculæ lin-  
guæ cujusvis populi suus honos cultusque exhibi-  
tus fuit.

*III.* Neglecto illo; corruptela morum irrepsit;  
paulò post irrupit etiam perniciēs.

*IV.* Ex quo consequitur; quàm sint non modò  
improvidi: sed nimirum etiam intolerabiles; qui  
se capitis diminutionem pati arbitrantur; quum  
patriâ linguâ expromenda est oratio. Nec vana Im-  
perii constitutio videatur: ne in Camera Spiren-  
siles aliâ linguâ, nisi Germanicâ intendantur.

*V.* Non minùs peccamus; qui insuper habemus:  
benè an malè pueri nostri fari discant; quibus cum  
lacte materno sermonis vernaculi puritas instillan-  
da erat. Etenim

*Hor. lib. 1. epist.  
ad Tibul.*

*Quid foveat dulci nutricula majus alumno,  
Quàm sapere, & fari ut possit, quæ sentiat?*

*Valer. Max.  
lib. 2. cap. 2.*

*VI.* Fecerunt hoc in Repub. Romanorum ma-  
tres Gracchæ: & universum Latium in eo erat; ut  
Latina lingua, etsi congenita civibus, culturâ per-  
poliretur: prisci quoq; Magistratus, inter cætera  
gravitatis indicia, Græcis nunquam, nisi Latinâ lin-  
guâ respondebant.

*Inft. Lips. in  
admirand.*

*VII* Quod sanè non exiguum fuit auctoritatis  
telum: potiùs adminiculum transferendæ pote-  
statis.

*Non itaq; possum improbare seculo nostro Italos.*

*Apud eos in magno sunt æstimio Ioannes Boccacius,  
Francis. Petrarca, Lodovicus Ariostus, Actius Syncerus,  
Petrus Bembus, Francis. Guicciardinus, Dulcis, Castel-  
vetrus, Varchius, Tassus, Victorius, Giralduus, Sansovi-*

*nus, Castilignius, Guazzus, Speronius, Sorantius, Spontonus, alij; non tam ideo: quia libris suis res utiles prodiderunt: quam Italicæ lingua nomine, cui decus splendoremq; attulerunt.*

## HEPTAS IV.

Apud Imperatorem Carolum V. Legatus quidam è Germanis perorare iussus; quum sermonis & linguæ autoritate Hispanos in admirationem rapuisset: ex istis unus ita censuit: credere se; Deum, quum expelleret è Paradiso Adamum, & Angelum gladio formidabilem, terroris causâ protoplasten linguâ Germanicâ increpuisse. Homo Germanus acutè reposuit: persuasum se sibi habere; Diabolum, quum Evam circumvenire vellet; linguâ Hispanicâ ad concinnandas strophas, usum fuisse.

*Frid. Achil.  
dux Wirtenb.  
de princ prov.  
Europ.*

## EXEO

Qu. *An lingua Germanica sit inferior Hispanicâ?*

R. Negantis — potior sententia visa est.

## THE S.

I. Distinguunt nonnulli delicatuli inter linguas; an aptè atque ex fide, cordatiores viderint; cum



*Vid. Achil.  
Frid. Duc.  
Wirtenb. de  
princip. prov.  
Europ.*

*Clapmar. lib.  
3. de arcan. Re-  
rum p. cap. 22.  
Paul. Math.  
Webn. in pra-  
f. ut. ad observ.  
pract.  
Ioan. Gorop.  
lib. 2.  
Hermatben.*

*Ovid.*

*Merlin. Coc.  
cai. in  
Macaronic.*

DE O, ob majestatem, Hispanicè; cum principibus, ob gravitatem, Italicè; cum faminis, ob gratiam, Gallicè; cum hostibus verò, ob terrorem, Germanicè loquendum esse.

II. Meo quidem judicio, vernaculæ nostræ linguæ nihil deest, quò minùs conjunctim præstare possit omnia, quæ seorsim illæ aliæ: sive conjunctas dictiones putes, sive singulas.

III. In phrasi certè & verborum ambitu ita est felix: ut cum Hispanica, & quavis alia periodorum decenti tractu atq; circuitu; vicissim quoque copiâ, perspicuitate, brevitate, pronuncionis lenitate paria facere possit.

IV. Singulæ verò dictiones, tam nobis sunt elegantes, plenæq; & venustæ emphasis: ut illi stomachum meritò nobis moveant: qui quum vocabula linguæ vernaculæ habeant æquè significantia; nescio quo amore meretricio infatuati, peregrina adsciscunt; domi natæ aspernantur atque contemerant. Quorsum enim ista formula, quæ meris dictionibus Germanicis poterat exprimi, non minori vel gravitate, vel elegantia? *der Monsieur, als ein brave Cavallier, erzeig mir dis plaisir.*

*Auditum admissi, risum teneatis amici!*

Nimirum entergit inde genus non absimile illi joculari:

*Post damnum pentire valet; mihi crede, negotiam.*

*Dum nova plaga tumet, ferro est tajanda rasonis.*

*Qui nimis indusiat, caldum non mangiat arostum.*

*Contra fortunam, grandis pacia videtur,*

*Spingere navigium.*

Aut ita videntur loqui, ut Judæi nostrates, qui sermoni vernaculo admiscunt vocabula Hebraica: sicque ab extrema infantia pueros suos adsuescunt loqui: Wenn man Tfilla thuet / soll man sein herß me-  
cassen, seyn leßchem Schamajim. Nec dissimili impuritate quadruplatores sibi fraudulenter confingunt linguam, quam Rothwelsch vocant: quale est ex. gr. Ich will in Beth vmb ein Blechlin boßhart  
acheln.

*Buxtorf. in  
lect. Hebrao.  
German.*

V. Quodd si majestas linguæ Hispanicæ, Castellanae maximè, ex eo emergit: quia plures in ea consonantes audiuntur; & quæ Italis in O desinunt ea Hispanis in os terminent; proque *bascio le mani*, dicant *beso los manos*; non video, cur Germanica nostra, quæ cum vocalibus perinde pluresque intermiscet consonas, superciliosè contemni debeat.

VI. Quanquam non concedimus homini Gallosita esse horridam Germanorum linguam: ut quaternæ quinave consonantes in unam syllabam, absque vocalis interventu, coalescant. De quibusdam Slavonum idiomatis quadamtenus, de sermone Teutonum minimè dici potest.

*Advers. Antō.  
Verder. lib. 5.  
var. lect. cap.  
25.*

VII. Porro et sitantùm nobis non sumimus; ut Germanicam linguam in paradiso aut natam, aut cultam esse statuamus: certum est tamen; Hispanicam & cum ea Gallicam atque Italicam, uti ea nunc sunt, cum sermone Germanico, antiquitatis dignitate cernere non posse: etsi omninò concedamus: ante mille annos, & in Mauriti Imperatoris exercitu sermonem Italicum in usu fuisse.

*Vide Gorop.  
Bec. in. & Phi-  
lip. Clu.  
lib. 1. antiq.  
Germ. cap. 8.  
Paul. Mer. ul.  
in Cosmog  
part. 2. lib. 4.  
cap. 18. ex hist.  
miscell.*



*Approbamus itaque majorum nostrorum consuetudinem.*

*Illi ante plura secula in theatris publicis certamina Poëtica instituebant; orationes Germanicas, versu concinnatas, ad numeros Musicos modulabantur. Imperator, aut quispiam ex Magnatibus proponebat contentionis argumentum: Virgines nobiles offerebant præmium victoribus, perinde atque in bastiludys. Quæ res in lucem protraxit multos Reges, Principes, illustresque viros, qui suis nominibus atque ingenijs Germanam Poësin nobilitarunt. Sunt ex ijs Principes Brandenburgici, Misnici, Ascanj, Brabantj, Pratslavienses &c.*

*Vide das deutsche Heldenbuch.*

## HEPTAS. V.

Erat Vespasiano Cæsari familiaris Menestrius Florus, Consulari dignitate ornatus. Iste, cum superstitiosè captaret dictiunculas, moneretque Cæsarem; plaustra potius, ex antiquitatis analogia, quam plostra dicendum: die postero, non Florum, sed Flaurum salutavit eundem Vespasianus, faceteque elusit.

*Suet. in vit.*

## EX EO

Qu. *An studium obsoleta dictionis in Latino sermone pertineat ad civilis vitæ venustatem?*

R. Negantis — potior sententia visa est.

## T H E S.

I. *Materia sermonis, quæ quidem in verbis est,*

*verba*



verba suppeditat, perspicua, plana, usitata, pura, ornata, modesta &c.

II. His multum detrahit obsoletorum conquista cura: sed obsoleta dico, non antiqua.

III. Sunt enim antiqua non una; quæ etsi non extant in Ciceronianis Lexicis: seculi tamen Ciceroniani sunt; certè illius censuram ferre possunt.

IV. Jure ergo non Ciceronianos, sed, ut fiant plus unâ syllabâ Ciceronianos appellat Professor Regius illos, qui Latinitatem metiuntur unis & solis Tulli voculis.

V. In structura potius periodi & connexionis Tullianæ, tum phrasis similitudine, imitatio consistit.

VI. Eos verò ridemus *κακοῦλόγους*, qui merè obsoleta, & prædesuetudine rancida ferruminant vocabula, ut inde compagem aliquam exstruant, quæ ferrum grandinesque referat: nihil pensi habentes: sive cum Sabinis cornicentur: sive Osce & Volsce fabulentur: nam Latinè nesciunt.

VII. Talis fortè illius existeret, qui sub persona latitans, hoc modo ineptientes lusit.

*Prox corgo! Dubene, dupatica perbetit isthic;  
Querquetullana: au, non talipedando badissat!  
Eccere contuolis creperis, adgretag, topper  
Querquera, te sum cordi frangibulumq, quiritat.  
Ograndioximus Hippi: dextimulamq, datatim  
Itaxis. Sisspes Saturnia confedustos  
Vos simitudoit: & multesima vulga putellum  
Dapsile vivatos verdet Mammamq, Papamq.*

*Gell. lib. 1. c. 10.*

*Macr. lib. 1. c. 5*

*Ramus in Cic.*

*Taubman. in*

*diff. de lin. lit.*

*Majorag. in*

*præfat.*

*Joan. Passer.*

*rat. in præfat.*

*Titin. fab. 1.*

*Non vos axitiosa Dea, aut adrumet Apluda.  
Ferreasunt, fateor, mea verba; sed aurea vota.*

*Approbamus itaque Demonacis  
judicium.*

*Erasm. in  
apoph.*

*Ille cum quendam nescio quid interrogasset; atque  
is de industria obscurato sermone respondisset: Non intelli-  
go, ait, quid dicas: loqueris enim cum aperte tecum  
loquente; quasi Agamemnon aliquis vivat.*

## HEPTAS VI.

*\* Si mortuis  
concolor esset.  
Plutarch.*

*Dio Pruseus  
Orat. 13. de  
exit.*

*zenoni Cittixeo, sciscitanti ab ora-  
culo, quâ ratione vitam agere beatam  
posset, responsum fuit\*  $\epsilon\iota\sigma\upsilon\chi\epsilon\omega\tau\acute{\iota}\varsigma\omicron\iota\nu\tau\acute{\iota}\varsigma\tau\epsilon\varsigma\upsilon\epsilon\chi\epsilon\omicron\iota\varsigma$ .  
Quod cum ille intellexisset; omne stu-  
dium operamque locavit in legendis au-  
ctoribus priscis; persuasus opinor: anti-  
quos sermones, non perinde, ut anti-  
qua pharmaca, spiritu exhalante, vires  
suas amisisset.*

## EXEO

*Qu. An liceat recentiorum quoque auctorum libros le-  
gere; ut sermonem ad civilem conversationem apte-  
re, juxta quoque rebus locupletare  
possimus?*

*R. Affirmantis——potior sententia visa est.*

I. Ultrò concedimus; si de Latina lingua sermo sit: in auctoribus prisci illius, atque elegantis puriq; seculi habitandum esse. At nihil prohibet; quin etiam salutemus recentiores: etsi non habitandi; saltem deambulandi gratiâ.

II. Non enim ita est sterile nostrum seculum: neque natura eò evulit; ut nihil præclarum proferre possit: neque ornamentis nostris tanto invidet opere, ut nequeat parere aliquid, quod cum antiqui certare valeat.

III. Veteres ipsi, & sapientiæ, & Eloquentiæ gratiâ, Romani maximè, non tantum eos conquierebant auctores; qui multis retrò seculis commentati fuerant; sed cævos quoque suos in æstimo iusto, & cum veneratione habebant.

IV. Neque immeritò: ut enim

—*nullas recipit Prudentiâ metas:*

ita nec venustas, nec Eloquentia unius tantum est ævi.

V. Quod si antiquissimum semper dicemus optimum; sanè ipsi quoque prisci, parum aberit, quin arguantur imprudentiæ: quod glandes spreverunt ac lolium, inventis frugibus, ac cessarunt corticibus tegi; postquam sutilis textilisque vestis exco- gitata fuit.

VI. Conjungendi itaque cum veteribus iuniores: sed hi cum delectu habendi maximè: quoniam.

*Multum, crede mihi, refert à fonte bibatur,  
Qui sinit, an pigro, qui super, unda, lacu.*

*Claud.*

*Arnob. lib. 2.  
advers. gent.  
Plaut.*

*Mart. lib. 9.*



VII. Quod cum primis tenendum in sermone Germanico: ut verbis presentibus utamur, loquamurque cum iis, qui nostro aut superiori seculo barbariem mitigarunt; aut emolliverunt duritiem; aut asperitudinem levigarunt.

*Improbatus maxime, qui orationem Dominicam, majorum linguâ quasi aptam nostro sermoni obtrudat.*

Marq. Freher.  
in Orat. Do-  
min. & Sym-  
bol. Apost. ver-  
sione Aleman.

*Thu ure fader, the eart on beofenum. Si thin no-  
man gebalgod. Cume thin Rike. Sir bin Willa on eortban.  
suva on beofenum. Syle us to dag urne dag wanian blas.  
And for gif us ure gylter. suva ure for gif a thã the wriþ  
us agylebat. And ne lãd thu na us on Kõstnunge. A: a-  
lys us fram ysele. Si hit suva.*

## HEPTAS VII.

Benzo in hist.  
novi orb.

Laelius Biscio-  
la lib. 6. subcis.  
cap. 12.

Petr. Cieza  
tom. 2. hist.  
Peruan. c. 34.

Quum Americani viderent; Hispanos, jam tum victores suos dominosque, animi cogitata per leves chartas, aliis etiam absentibus patefacere: rem insolentem mirati, chartam ori, oculis, auribus admovent. Quum vim nullam inde perciperent ipsi, divinum quid inesse Hispanis putabant, & tanquam Deastris honorem exhibebant.

# EX EO

Qu. *An præter vim significandi, alia quadam  
arcana virtus literis insit?*

R. Negantis—potior sententia visa est.

## T H E S.

I. Equidem mirabile quid DEUS in arte scribendi legendiq; nobis repræsentavit.

II. Quem enim non commoveat, posteaquam experimentum fecerit; hunc unum versiculum,

*Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo,  
millies bis & vicies, metro & sensu servatis transpo-  
ni variarique potuisse. Et tamen visus est, apparet,  
tenetur, qui ad ceculum diducit.*

III. Illud verò quo loco habendum? converti posse tricies sexies centies millies, vicies octies mil-  
lies, & octingenties sequentem versum:

*Rex, Dux, Sol, lex, lux, fons, spes, pax, mons, petra,  
Christus,*

IV. Atque illud admirabilius: tam immensam prostare voluminum molem; tam varia in omnibus linguis nomina, sibi dissimilia: nec tamen plures, quàm tres & viginti specie, aut valore differentes, in iis deprehendi posse literarum formas; ut Tullius non abs re exclamet: *Quis sonos vocis, qui infiniti vide-  
bantur, paucis literarum notis terminavit?*

V. Quod, ut ingrati est, non agnoscere, non mi-  
rari, non prædicare: ita vicissim erit parum vel pii,  
vel sapientis: vni aliquam arcanam tribuere literis,  
præter illum significandi aut commonefaciendi fi-  
nem.

*Alchuf in pa-  
neg. de schol.*

*Bernb. Bau-  
bus. Proteus  
Parthenius.*

*Eryc. Putean.  
in pietat.  
thaumat. T.*

*Cic. 1. Tuscul.*

*Antõ. del. Rio.  
disquis. Magic  
cap. 4. qu. 3.  
Gorop. lib. 1.  
Hermathen.*



*Hipp. lib. 1. de  
fac. morb.  
Gal. lib. 6. &  
10. simpl.  
Vales. in con-  
tr. Med.*

*Spartian. in  
vit. Trebel.  
Pollio. Herm.  
Hugo describ.  
origin. cap. 29.*

*VI.* Neque enim ab artifice aliquo talis ei vis im-  
primitur; neque DEUS aut boni Angeli operam su-  
am ad præstigias locant: neque per naturam quanti-  
tas agere solet.

*VII.* Quod si quis ex literarum usu provenit ar-  
canus effectus; dæmonis paciscentis artificio existit.

*Improbamus itaq; factum Hadriani; & Claudiani.*

Illi delectati fuerunt commento divinandi ex literis  
paginae alicujus, in libro fortuito apertæ:  
quo artificio & Socratem ferunt  
intellexisse; sibi esse  
moriendum.







